

Disputatio medica inauguralis de balneo Blasiano ... / [Johann Friederich Engel].

Contributors

Engel, Johann Friederich.
Camerarius, Rudolf Jakob, 1665-1721.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Hiobi Franckii, 1718.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/as2ev4sf>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

BALNEO
BLASIANO,

Quam

PRÆSIDE

DN. RUDOLPHO JACOBO
CAMERARIO,

Medicinæ Professore Ordinario,

*Patrono & Præceptore suo Honora-
tissimo,*

PRO LICENTIA

Supremos in Medicinâ Honores legitimè conse-
quendi,

publico Examini submittit

JOHANNES FRIDERICUS ENGEL,

Tubingensis,

AD DIEM NOVEMBR.

In Aula Novâ,

TUBINGÆ,

TYPIS HIQBI FRANCKII.

A. MDCCXVIII.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30772990>



Σ. O.



Uid frontem rugas, L. quem præoptamus B. Vellesne disputari aliud quid, ac lippis & tonsoribus notum thema? vel, thema vulgare quidem tractari tamen modo non vulgari? Exprobras, quod aliis placuit, nobisque laudatum fuit, & dura postulas; ne quid gravius dicamus. Respondere, excusare, si tentaremus dicendo: domestica rectius expedienda sumi, præ peregrinis, frequentioris illa tractationis præ rarioribus, minus pretiosa præ caris; & tale pro libertate hætenus concessâ selectum thema fuisse elaboratum utcunque videbatur sufficere pro discursu academico, per theses, &c. post hæc tamen omnia foret expectandum, utrum ipsis acquiescens futurus sis nobis indulgendo mitior. In omnem potius casum feremus iudicium Tuum, & meliora docenti auscultabimus, subscribemus, applaudemus. Itaque ad rem ipsam, non tamen illotis, quod ajunt, manibus pedibusque: Deleat errorum nostrorum maculas spongia benigna; quin imò, *sit nobis Fons prophetica quondam promissionis patefactus per Soteris gratiam in ablutionem sordium peccati & immunditiei!*

De Aquâ vicinix Blasianâ, in Balnei usum à seculo non uno vocari solitâ, dicturis consultum fuit, tenere medium: In defectu quippe videtur peccâsse olim *Valer. Cordus*, qui à vulgari quâpiam fontanâ aquâ thermas has factitias nullâ qualitate differre, sed superstitiosâ fide ipsi se credere infirmos, scriptum reliquit, in sylv. var. obs. Pro excessu autem habendum erit, ipsam à *Bern. Vareno* in geogr. thermis (naturalibus seu fontibus calidis) accenseri. Non ergò, si priores tenent sedes celebriorum

nomina fontium, noster plane latet. Magni nominis Antecessor, *L. Fuchsius* instit. l. 2. f. 5. de ipso sic incipit: *Prope Tubingam ad torrentem stainachium balnea sunt Blasiana, ab excelso illic à missariis sacrificis extructo, & divo Blasio dicato, appellata, non quidem celebres, sed ob praeclaras virtutes nobis silentio non praterenda.* Descriptionem ulteriorem praesupponimus facile posse peti ex libello singulari, scripto in vernaculâ, *S. Hasenrefferi*, etiam Nostri quondam, quia versatur in multorum manibus: Adde, ut compleatur bene meritorum *Triga*, disp. d. acidul. usu ext. quam debemus *Præsidis B. Parenti*, omninò huc applicandam in multis.

Objectum autem tractationis nostræ *Aqua* illa hauritur ex *Puteo*, cujus profunditas staturam hominis non multum excedere dicitur, satis clara & larga, siquidem ille subindè expurgari solet, & sub actu deprehensum fuit, subesse *tres scaturigines* vivas, structo lapide exceptas & conclusas. Prima hinc physica magis posset moveri quæstio, de *Ipsius Origine*, vel eâ de causâ, quia tam in urbe, quàm circa ipsam annis nuperis frequentes fuerunt fossiones fontium, ferè ad analogiam quandam *Mutinsium Ramazzini*. Quod enim hic de admirandâ fontium scaturigine scripsit, dato quocunque situ, effossis puteis, suppetere ibi aquam, id per exempla non pauca etiam inter nos voluit comprobari, cum putearii nostratibus aquam promiserint & obtinuerint, non quidem, ut ibi terebrando fundum putei, & cum magno erumpentium aquarum impetu, suo tamen modo, simpliciter scil. fodiendo ad usque scaturigines sperandas aquarum, idque satis certò, ex fundamento, ut agebant, sui generis *luti* vel *argilla*, quam profunde satis fodiendo ubique locorum se deprehendisse & deprehensuros, & ibi aquam sibi non defuturam, prætendebant, promittebant. An *limus* ille *cæruleus Beccheri*, de quo in phys. subterr. cum quo an, vel quî, conveniat *Helmontii F. trieb sand*, fons & fundamentum aquarum, in macroc. viderint, quorum est ista curare: Deducant etiam aquam à suo principio ad suum terminum; eâ tum medici utemur pro balneo.

Quæritur enim ulterius, utrum *limus* ille colligat *vapores* ascendentes ab infra ex hydrophylacio quocunque vel ipso inferno, abyſſo, & appellentes ad juga montium, per modum alembici; vel terminet venientem ab alto *pluviam* nivemque ſolutam, quam excelsa iſta montium pro conditione aridæ avidæque terræ ſitibunda imbiberant, & ſtratorum plana determinant, ut deſudent, decurrant, ad humiliora eruptionum loca? Hoc enim ſibi ex profeſſo probandum ſuſcepit recentius, juxta recenſionem in ult. *giorn. d' Italia* tomis, *Valisnierus*. Quanquam ergò reſpici quoque ſoleat ad viciniam fluviorum per eandem vallem decurrentium, noſtrum tamen erit, ſubminiſtrare modò potiora phænomenorum, quæ inſervire poſſunt, originem iſtam vel penitus ſcrutaturis, vel determinaturis. Quid ſi autem iſti duo modi ſibi non tam opponerentur, quàm conjungerentur, ſubordinarentur?

Exhaustâ aquâ ſcaturiginum in fundo affluxus dicitur fuiſſe obſervatus à regione vicini montis, ad cujus radicem ſitus eſt puteus, qui altitudine quidem non ad æquat alpes, ultra miliare indè eminentes, quas communiùs terminum à quo aquis eſſe conſtat. Aqua porrò in ſuo puteo *non bullit*, ſtat quieta; *non* eſt obnoxia variationi aut *turbationi* per diverſas anni conſtitutiones; *non deficit*, (multo minus planè unquam exaruiſſe & evanuiſſe legitur) ſub magnâ hujus anni ſiccitate, ita tamen ut negandum non ſit, tardius ſolito repleti puteum, hauſtâ largius aquâ, pro balneantium copiâ; *Hyems* quondam ſine pari viſa, cruſtam quidem ipſi induxit glacialeſ, ſed modò ſuperficialeſ, eſt autem ſub tecto ædium; Cùm *annis* exceſſivè *humidis* prævalerent pluvia, paſſim in ipſâ ædium areâ viſæ ſunt plures *aquarum* erupiſſe *ſcaturigines* claræ.

Pergit *Fuchſius*: Earum *miſtura* ex *alumine*, *ferro*, *exiguo ſulphure*, & *nitro*, aut certè *calcario lapide* exiſtit, nam aqua igni admoti, turbida fit, poſtremo *rubescit*. Haſent: *Es halt alaun, eifen, niter, alabaſter, Wildwaſſer*. De his E. prætenſis aquæ noſtræ contentis ſigillatim: *Alumen* tripliciter poſſet conſiderari, vel *integrum*, vel

in suâ terrâ, vel in suo spiritu. Primum huc non spectat illo sensu, quasi per incoctionem & crystallisationem alumen ex aquâ concretum relinqueretur, obtineretur; tale quid enim exhiberi nequit: alterum in considerationem veniet in seqq: tertium ita est comparatum, ut ille certè *alaunischer Salz-Geist*, ut dici voluit, capi quidem non possit, absolutè tamen negari & excludi ab hâc quoque scaturigine nequeat, est enim undique diffusum, variè in variis objectis modificatum, quod sulphuri, vitriolo, alumini commune est & competit *acidum catholicum*, hîc non manifestum, non tamen nullum, ex fide reagentium, sive turbatæ solutionis sulphuris cum alcali & scoriarum reguli, ad præcipitationem ibi tardio rem albi, hîc citiorem crocei sedimenti.

Ferrum argueret color, si aqua ab igne postremo rubesceret. Verum enim verò hoc nec nos vidimus unquam, nec audivimus quenquam, qui voluerit, potuerit affirmare. Ubi ex summo putei defluit aqua, nil bolare vel ochreum vidimus deponi, nil vaporem tenus elevatum super ahenum ad trabes, aut quod cætera ibi solida obduceret; nec atrofa hæc deprehendimus. Unde benignâ interpretatione res eò redibit, ut & hoc universale metallum secundum minimum sui absolutè exclusum nolimus, parum autem ipsi tribuamus; Etenim *gallæ* tam aquæ recens ex puteo haustæ, quàm coctæ calenti, cum injicerentur, nigredinis exhibuerunt planè nihil. Oportet ergò contentos esse cuticulâ tenui, parum coloratâ, quæ post moram obduxit aquam crudam (non æque coctam) superiùs viridiusculam.

De sulphure Hafenreffer: *Sulphur martiale in generatione metallicâ impeditum substitisse hîc in limbo minerali.* Nec ad puteum, nec ad ahenum, minus in ipso balneo, quidquam sentitur odoris. Copiam albi pulveris sulphur dicere vetat examen ignis, qui nil quidquam inflammabile in ipso demonstrat. *Luna* bracteata utriusque aquæ dicto loco immisâ, manens nitida, pura, colore ullo non maculata, præsentiam hujus principii

cipii non confirmat; ut & hoc benè paucum inesse oporteat, & fugax, quod non nisi *luna* solutionem non statim, sed post moram, obscurè tinxit.

Nitrum voluit probari testimonio gustûs: *der niter werde mit seiner scharffe in dem trincken um etwas gespührt.* De gustibus non disputandum; quanquam hoc intelligendum videatur de objectis ori gratis vel adversis potius, quàm simpliciter de præsentia vel absentia dubia qualitatis alicujus sensibilis. Noster sensus fuit obtusior, quàm ut perciperet illam acrimoniam. Et nitrum apud nos non est originis purè mineralis; ex animali autem regno quid hîc accedere, conditio circumstantiarum eò se conferentibus non probabit. *Calcarium Listeri* nitrum quæ contineant aquæ sunt adhuc hîc loci in desideratis. Salis cujuscunque ne granum hæctenus ex nostrâ excoctum s. obtentum novimus.

Manent adhuc verba ultima *Fuchsi*: *aut certe calcario lapide.* Hujus enim terreum principium in aquâ hâc præ aliis abundè observatur; & videtur indè ipsa tantum non quasi lactescere, colligere in fundo multum *pulveris* instar fæculæ, & affigere ahenò spissam *crustam* lapidescentem. Fiunt tamen hæc omnia non nisi *vi ignis*, urendo ibi ligna non tam coniferarum, quàm fagi, carpini, &c. *ahenus* capax est plus quatuor amphorarum, eimer, cui subjici oportet ignem per *horas tres*, ut satis excocta pro balneo habeatur aqua.

Prævalenti ergò isti *terra benè alba* debentur phænomenorum seqq. pleraque: *Aqua* recens è puteo haustæ injectum *Alumen* copiam indè exhibuit floccorum, sed per noctem maximam partem resolutorum; *Saturni Saccharum* dedit turbidam solutionem opali omninò coloris, per noctem disparentis, cùm mane in fundo jaceret pulvis candidus, vix à sale culinari deducendus, cujus quippe de cætero non suppetunt indicia. *Instillatus Vitrioli spiritus* nihil movisse vel mutasse visus, crudam tamen quin & coctam quoque clariorem reddidit; parum albi sedimenti fuit, quod ex priori præcipitavit *Oleum tartari p. d.*
Plus

plus ex alterâ, sc. ex faucibus ut videtur acidi occulti deciduum, à quo prius detinebatur; *Syrupus violarum* affusâ crudâ tardiùs virorem cœruleum magis, cum coctâ pleniorẽ virorem citiùs ostendit, sed admodum fugacem; (nota: æstivus calor per dies *fermentationem* hujus julepi promovit, undè ille quidem cum frigidâ paratus sub acescentiâ recuperavit violacei quid, & transit in rubedinem purpuream, alter cum calidâ factus, alcalinus magis, obsoleti coloris, in fermentationem quidem etiam actus tantillum subrubere videbatur, sed obscurus pallor prævaluit in ipso.) Denique sedimenti *facula*, ad apparentiam & ob consistentiam quasi pultacea, quemadmodum ab affuso *aceto* excitatis multis bullulis solvebatur, ut superstans turbida aqua fieret clara: ita *sali ammoniaco* commixta fecit exhalare urinosum modo, non gradu, quo calx viva, eodem. Cur autem *mercurium sublimatum corr.* reliquit album, non fuscum? cur *oleum olivarum* istius aqua non redegit in formam unguenti?

Cæterum, quod in imo subsidet & colligitur sicari solet in *pulverem* benè subtilem, mollem magis & lenem inter digitos, maximè dum adhuc madet, quàm asperum & sabulosum, similem ita quasi farinæ, coloris etiam albi, quanquam interdum compareat obscurior, lutulentior; per hanc quasi facem lapilli parvuli, glabri, plani, angulosi videntur concreti. *Crusta* ipsa ab internâ aheni superficie decussa plerumque est alba, glabra, lævis extus, intus asperior tactu, linguæ parum adhærens, dura quidem, ut tamen diffringi possit, compagis non striatæ, non lamellatæ, nisi quod in imo unum alterumque stratum exhibeat.

Superest ut reliqua *Fuchsi* superaddamus: *Alias* (præter ferrum) *misturas ex facultatibus deprehendimus. Destillationibus* namque in thoracem, & asthmaticis, articulorum item doloribus & tumoribus mirifice prosunt. Scabiem & ulcera curatu difficilia sanant, & ea, quæ fluxionibus infestantur facilè exsiccantur, ut hinc partim *aluminis*, partim *nitri* & *sulphuris* *mistura* eluceat. Hæc sua videtur fecisse *Hafenreffer*, & ex hoc effectu à posteriori voluisse

huisse confirmare præsentiam aquæ adscriptorum mineralium. Nos hunc probandi modum non contemnimus, sed commendamus, at ut fiat certior & firmior historiarum posthac plurimum observationem accuratiorem requirimus, dein rationis exercitium cautius esse volumus, inquirendo, utrum huic causæ adscriptus effectus non æque possit præstari ab alterâ, s. quod *salis, sulphuri, metallo* tribuebatur, deduci modò ab istâ *terrâ alcalicâ*. Principia verò, quæ corporaliter demonstrari nequeunt, si prætantur inesse virtute suâ spiritualiter, tum concedemus quidem tam vivis aquis esse ætheris vim & aeris elastici copiam, quàm soteriis verè talibus etiam insipidis fortè aliquid ultra communia aquarum contenta, per quascunque hypotheses variè explicandum; quis autem patiatur, tale quid temerè ultra quàm fas est extendi?

Quod si quis tamen dubiam ex paucitate contentorum activorum aquam velit reddere *magis medicam*, inveniet modum atque specimen in *laud. inst.* sub finem cap. de baln. nec enim qui postea talia præscripserunt magno numero in diversum abeunt, aut multum novi dederunt. Siquidem ergò Tuam velis verè *sulphuris* participem, facilè ipsam inficies injiciendo illud colligatum alcali: absterforiam magis facies *salis* vel culinæ, vel enixi, (quales sunt ex parte, vel fiunt per vetustatem, nostri cineres clavellati) proportionato accessu: &c. Cauto erit opus, quandò & ubi ad *alumen* progredi sit tutum vel necesse. Erunt tamen casus non pauci, quibus utique conveniet præ aliis *balneum aquæ dulcis* minimè siccans, quàm maximè lene & leniens, quin ut fiat magis tale, *vegetabilibus* malacticis & paregoricis alterandum, imò ex *animali* regno lactis infusione magis accommodandum.

Homo quidem est in suo elemento, cùm in *aere*; hujus gravitati & elateri, caliditati & frigiditati, humiditati & siccitati tam obnoxius quàm ferè assuetus: transeundo ergò in *aquam*, hinc non secundum corpus totum, sed inferiorem sui modò partem, afficitur etiam juxta convenientiam & differentiam

horum duorum mediorum. Hinc *L. Bellini* subiit considerationem triplicem, in d. sang. miss. prop. 8. primò *Baroscopiam*, sc. à liquido densiori multo & graviori fore majorem pressionem corporis demersi. Liquidorum enim quaqua versus nitentium vim magnam posse animadverti in exemplo facile observabili, cum sc. attollitur in balneo per aquam vi minimâ *brachium* ad usque superficiem, quia sursum urgetur ab ipsâ, indè autem levatur ex aquâ in aerem cum sensu incrementi in pondere, (sc. illo momento) quia non ut prius in actu juvantur nisi aquæ levatores musculi. Pro declarandâ porrò expressione contentorum in superficie corporis humorum, tanquam effectu pressionis, ab aquâ factæ, proponit duo phænomena; sc. *rugosos fieri digitos* morantibus in balneo, item, reddi in balneo per *urinam* liquidum aquosum ac lucidum instar aquæ; illud sc. quod ab ambitu corporis cum sanguine repressum indè amplius s. largius scernitur per renes.

Hygroscopii etiam rationem habuit *Ille*, prætendens balnei liquidum penetrare intra corpus, unde etiam possit esse illud *crisidum*, quod in balneo per urinam redditur; ex parte saltem. Adducit enim specimina declarantia, quantâ vi se insinuet aqua intra villos *corii* aut *funis*, ut moveant & superent resistantiam quanti corporis! prolixior inde in expediendo, quâ penetrare ita possit aqua, ut perspirationem non minuat, nedum supprimat, nam reverà crescere hanc in testem vocat *Sanctorium*, aph. 2. s. 2. Est autem ipsi usus aquæ penetrantis in sanguinem refrigerando, humectando, ad fluxum commodiorem & expeditiorem disponendo; provocat ad exempla mechanica, sc. *aquæ & vini* (non aeris) ascendentis & descendentis eodem tempore per tenue *foramen* folliculi crystallini; etiam *charta* aquâ & oleo madidæ, quam partes luminis & ignis trajiciant facilius quàm non madidæ. Quod si tamen supprimatur perspiratio, sperat id compensari per beneficia aquæ exprimentis & penetrantis, vi cuius expurgetur, quod supprimitur, per urinam, &c. aut denique absoluto balneo emollitum corpus fore magis perspirabile.

Nec *Thermoscopii* respectus fuit prætermisus loco citato, sed observatur aquæ calidæ vi rarefcens fanguis majori cum impetu niti quaquaverfum; Sic materiam p. n. fluxui minus refiftentem (fcil. termini fupponuntur *habiles*, fed prohdolor sæpè non *dabiles*) accedente majore vi fanguinis eandem urgentis per longitudinem canalium poffe loco moveri, inque venas abripi; exemplo tumentium hæmorrhoidum, in feffu calidæ folvendarum.

Hos autem mechanifmos Bellini carptim perstrinxit *Ant. de Heyde* in exper. varia movens: 1. corpus non mergi profundè, ergò non fore notabilem vim preffionis; & hæc fi foret tanta, tumores fecus ac fiat in eo diffipatum iri. 2. brachium facilius motum in aquâ, quàm ex eâ in aerem, ipfi probare videtur, aquæ denfitatem, non preffionem, cùm in illâ tamen fundetur preffio major minus gravia tollens. 3. rugas digitorum regerit effe tam à frigidâ, quàm calidâ, quia humida cutis in majorem amplitudinem extenditur, unde rugæ neceffariò oriantur; uti accidit chartæ madidæ, corio: in frigidâ rugas, quia fanguis denfitatur, vafa anguftantur; in calidâ, quia pars humidi calore expeilitur. 4. Quod de penetratione aquarum fuerit fcriptum, tam effe rem dubiam, quàm non valde utilem, quia tales bibuntur sæpè fine fructu. His addi poteft illud *Listeri* ex tr. d. hum: *In thermarum ingreffu & commoratione frequens limpida, urina, non multa; Non quòd aqua in corpus per cutem irgrediatur. Sed ob fuppreffam perffpirationem, ex inufitato calore, æque ac à frigore, cutis ductus comprimi. An inde horror quidam corpus occupat?*

Sunt in amplo problematum *Arlis* cenfu, quæ huc fpectare videntur: Nam Sect. 24. nr. 7. & 10. quæritur, quæ caufa *rugarum* à calidâ? & refp. quia cutis contrahitur, ab humoris, quo prius tumebat, evaporatione. Nr. 5. & 8. *fundus vasorum* fubjecto igne, dum adhuc friget aqua, calidus, postmodùm fervente jam aquâ non urens, tangendus impunè, quæftionem præbet; & habet refponfionem in famofâ *antiperiftafi*. Nr. 11. problema ita fe habet: *cur aquis calidis potius, quàm frigidis, lapides concrefcunt.*

✠ *coagmentantur?* Ratio quæritur in absumptione humidi per calorem factâ; non tamen simpliciter, siquidem frigor etiam faciat lapides, humorem nimio gelu absumendo.

De primo ex his tribus punctis dictum fuit modò; nil addimus, nisi talem quoque fieri digitorum pulpam sudantibus, & durare rugas aliquandiu post balneum. De altero passim curiosi physicorum; quibus adde illud *ex act. acad. sci. gall. ann. 03: requiri fundi tenuitatem, & vasis amplitudinem*, sic ignem trajicere simpliciter, non ad effectum caloris. Ex tertio occasionem arripimus, notandi, *crustam* lapideam obduci saltem *abeno, non fistula*, non lignis ad & circa puteum; Secus ac alibi, etiam per patriam, observatur de *aquis* vivis frigidis, fluviorum & fontium, objecta quæcunque *incrumentibus*. Lapidem autem in tubis per quos aquæ fluunt concretos extremâ vi radiorum solis speculo ustorio collectorum, calcinari, non vitrificari, (cum dubio tamen, an præparentur ab illo ad hoc.) observatum legitur Curiosis Florentinis, *giorn. d' Italia tom. VIII.* Posset illi *crustæ fatuæ* ad latus poni *sapida* altera, quam exhibent latera doliorum, sc. vini tartarus, juxta circumstantias & rationes traditas ab *Helmontio*, concretus occasione *frigoris & solidi* per ambitum, quæ aliàs quoque fundare solent crystallisationes salium. De ipsâ autem talium ab aquis depositarum *terrarum origine* disputent, qui talia curant: Utrum illis prius *inextiterint*, absumto saltem superfluo humido non sustinendæ amplius? vel ipsas *subintraverint*, fortè cum flammâ, tamdiu subjecto lignorum igne, ut hic ipse aliàs augere pondus calcinatorum observatur? Vel denique fiat tunc horum duorum elementorum *transmutatio*? Videatur *R. Boyle* de producibilitate terræ; conferatur terra, quam ex glacie artificiali resolutâ obtinuit *P. Lana*, nobis quoque non semel visa, sed à *M. Listerol. c.* recensita inter exempla simulatæ transmutationis.

Præ *calce alabastrum* dicere maluit *H. fen.* illud album, quod ab igne patiendo exhibet aqua nostra, ex ratione hâc duplici, quòd mite sit & acrimonix expers secus ac calx; quòd vena
nimis

nimis sit frigida, quàm ut ibi alab. in calcem possit exaltari, ut aliàs solet vi ignis. *J. Bauhinus* in cur. descr. Font. Boll: *quomodo calx fieri potest in scaturigine frigidâ? quomodo posset transeundo aqua ex durissimo marmore aliquid secum deferre? Lixior ergò significatio vocabuli calcis, pro lapidis genere, quod aquis dissolutum ad opera deservit cementaria, calcis vice. Miror ubi terrarum conficiatur per se vi ignis subterranei spontanei calx propriè vet. dicta, quæ calore albo inficiat fontem aliquem. Occultum quidem nobis est adhuc, mons vicinus sylvâ obsitus, quales recondat lapides, non tamen adeò procul inde, sed trans vallem, celebris est lapicidina molarium. Sedimentum verò & aheni crusta cùm exploranda traderetur gypsum tractantibus, negabatur cum hoc convenire, siquidem ad eosdem usus non deprehendatur aptum. Quod porrò corrosivum calcis concernit, hoc ipsum se haud exferit, nisi dum viva fervet, extincta siccatur sine morfu, & aqua indè non solùm adhibetur externè pro lavacro, sed & bibitur medicè, vel alterata conven. vegg. vel & lacti mixta. De differentiâ tamen aquæ calcis vivæ & aquæ Blas. per coctionem albidæ quæ sita, cui digiti pustulis minutis serosis valdè mordacibus per quàm molestè sæpè diu pruriebant, cutem sibi à blas. mundam, molliorem & leniorem, ab alterâ calcis asperiores prurientem magis fuisse dixit, se autem à neutrâ tunc curatam. Verum enimverò illud coquendo lactescere vel quasi non est aquæ nostræ proprium, sed commune quàm multis! nec est facile per urbem ahenus vel olla, quæ non incrustetur: Differentiam autem terrarum istarum prosequi non est hujus loci, nec illud, quantum varient, ubi sal aquæ injicitur. Cùm tamen alcali hoc opponatur acido, obiter citamus discutiendum, quod *Stisserus* d. pod. ubi mentionem facit aquarum, quæ post coctionem particulas terrestres & salas crassiores, gyphi instar, deponunt, scripsit: *quas satis ineptè quidam rerum naturalium ignari haud adeo dudum alcalica indolis & sanitati conducibiles, viris principibus persuadere ausi fuerunt, nescientes forsàn, tale quid per ignem in acidum maxime corrosivum cogi posse.* Denique, si ob*

sedimentum tale, ob istam crustam, velit aqua nostra dici particeps *Aluminis*, ut supra, nomen quidem hoc transmittemus, monemus tamen, nullam nos in utroque ab igne intumescentiam vidisse, quod aliàs illius quasi pumicis videtur proprium.

De usu aquæ nostræ præter coctam ipsius adhuc *frigida recentis* è puteo ad balneum vel fomentum seu epithema externum quodcunque, nihil nobis constat hætenus. pastor quidem primus inventor ulcus pedis curasse illâ legitur, absque determinatione modi, an crudâ usus vel coctâ; solet tamen parari ordinariè balneum ex *ana* aquæ utriusque. Ipsa verò recens infervit pro *potu* ibi & hominum & pecorum, ut fama fert, salubri; pro *loturâ* linteorum, quibus albedinem conciliare prætenditur, præ lotis alibi; quin imò in culinâ ad coquendum cibum quemcunque, etenim quod aliàs bonæ notæ pars magna est, *pisa emollire* dicitur. Qui *calidam* biberit nostram aquam, perhibentur admodum rari, pauci sc. catarrhosi, rauci, & similes. Ad salubritatem aquæ suspectam reddendam objici posset *febris* nuper vexans familiam ibi parvam; sed dubium est, an vicinix & contagii ratio non fuerit accusanda potiùs.

Balneum nostrum reportavit vulgò prædicatum respectivè *calidioris*, quod præ fervore inferendo tolerari à multis vel non vel ægrè possit. Credendum utique videtur vulgo, præbenti testimonium de eo, quod experitur, sentit & patitur; atque adedò intelligendum illud esset ita, ut aquæ alterius simplicioris ad eundem caloris gradum deductæ, seu ad balneum temperatæ, vis & energia ad istam inferendam passionem non æque pertingat. Causa hujus phænomeni non poterit adscribi principio, quod non adest, seu non sufficit prætensus calefactionis gradus altior ad arguendum hîc *sulphur*: Manendo intra terminos supra positos, recurrendum erit ad abundans *principium terrestre*, cujus corpuscula vel sunt susceptiva motûs fortioris præ aquâ, vel siccant magis, stringunt fibras, ut occlusis poris major & molestior exurgat calor ab hoc balneo, seu percipiatur sanguinis exagitatio per ipsum, ab ipso. *Sanctorius* aph. 78: quibus aliquid perspirabilis

rabilis in vehem. caloribus æstivis exhalare prohibetur, calor est molestus: quibus verò perspiratio omni ex parte est libera, calor non est molestus.

Evitare pleraque & potiora incommoda possunt & solent, qui simplices has & balneandi *regulas* naturales vel *cautelâs* communiter à medicis commendari, quin inculcari solitas observant, qui sc. balneo infident non calido nimis, non in principio statim merguntur profundius, sensim plus calidæ modò infundi curant, primâ vice non immorantur diu, balneo sensim assuescunt, è calidiore aquâ egrediuntur, quam temperatiorem intrarant. Siquidem nulla regula est sine exceptione, & sunt fortè, qui vel ferant vel poscant longiorem, majorem calorem, hi ad idiosyncrasiam ex tolerantia ipsi cautè sibi forment *regulas*. In E. N. C. 2. 6. quondam *Volcamerus*, ubi contra nimis intensum calorem balnearum, postquam illo externo debilitari calidum viscerum nativum, inde lassitudinem, sitim à ferve factò hepate, hinc à potu frigido ventriculi refrigerationem, bilis coagulationem, hepatis indurationem, &c. minabundus observasset, ita tandem concludit: *in omnibus balneis in fronte sudor terminus esto, quem si transferis, periculis non eris vacuus.* Faciles, largi & frequentes sudatores ergò prudentem sui habeant rationem. Etiam in methodo curandi luem, ubi præparatorio ad ptyelismum actu balneare jubet *Helvetius*, cum eâdem cautelâ id faciendum scribit, ne sudet æger in balneo, ne calor offendat caput.

Occasione caloris quæri posset, de præstantiâ thermarum præ simplici aquâ calefactâ? Curiosum quidem illud *Listeri*: *nullam aliam aquam posse calefieri ad tantum caloris diurnam conservationem.* Ipse tamen calor in se, seu subterraneus, seu in furno aquæ communicandus, ejusdem videretur naturæ, nec importare prærogativam, nisi pyrites quasi germinans, seu vapor metalli ferrei, ipsam & sulphuris & salis inferat substantiam, odoris, saporis, & reagentium testimonio. Accedet tamen, præter diversos caloris gradus, etiam *Loci* conditio: Modus enim balneandi liberior in *spatio* thermarum ampliori commodior, tole-

rabilior, laudatur præ illo, qui obtinet in balneo nostro, ubi sedentes in *labro* lavari solent.

Quando autem refrigerari corpus à balneo calido scriptum legitur, intelligendum id erit de effectu, qui per accidens aut per consequens inde observatur, sc. præter dicta vel à visceribus & vasis amplioribus ad habitum corporis magis invitatur sanguis, vel liberior diaphoresis per apertos poros ventilabit calorem: Etenim à frigido balneo non incalescet, nisi qui repressum ad interiora sanguinem vividiore motu repellit & exagitat fortius extrorsum; aliud tamen erit iudicium, de calore p. n. concitato, sicubi illa concentratio intulerit visceris cujusdam inflammationem. Sic frigus ambiens calorem nostrum vel obruit vel confortat, juxta Galenum, duplicat, juxta Sanctorium.

Cùm ergò balneum idem in diversos ratione plethoræ & cacochymix homines agat quidem modo eodem, sed excipiatur diverso, insuper circumstantiæ usurpandi balneum adeò varient, quàm *difficile* erit, nostrum quàm *juvans* aut *nocens* satis accuratè determinare? pauci enim nostratium eo utuntur, ut decet, ut solet fieri alibi, statis horis, ordine quodam, per plures dies; Sed plerique prout in mentem venit ex urbe, ex pagis, raptim atque sparsim accurrunt, & malè hinc vel benè habiti emanent in posterum vel redeunt vagè, prout dies fortè blandus serenus invitat, vel res familiaris concedit. Quotusquisque enim schema horarum *Hafenn.* observat? quanquam nec hoc ipsum debeat esse omnibus ita rigidæ observantiæ, sed conditioni personæ & affectûs prudenter attemperandum. Quis ex tali confuso & inordinato plurium balneandi modo certum quid & constans facile eruat, quid valeat ipsum, quid non; aut quid fiat ab ipso per se, vel per accidens, *culpâ* non ritè balneantium, adeò frequente. Quò refer illos, qui sub aère qualicunque per pedes ægri & lassî adveniunt refrigerati, mox balneant, nec minus citò abeunt, refrigerandi iterum; vix enim iter hoc utut breve ad urbem minori temporis ac horulæ spatio modesto ingressu absolvunt. Plures tales errores transeant modò, quos sana

ratio facile docet; Sine ipsis tamen si esset, minus interdum malè audiret balneum, & culpa redundaret sæpe in balneantem, minus gravaret balneum. Addamus hoc: melius sibi consulere illos, qui simplex aquæ dulcis *balneum domesticum* sibi non sufficere rati, *magis siccans* aquæ blasianæ, aut quocunque alio ex capite, requirunt, advehi sibi curant eandem in urbem, *in ades*, nam apta satis balneo & viribus integris huc venit aqua, loco suo excocta, dolio mundo & frequenti usu quasi adaptato advecta.

In genere, magnam inter homines pro ratione locorum & temporum observamus differentiam, qualis etiam est nostratum à primo statim ortu, cùm olim *infantes* habuerint per singulas à nativitate septimanas unum alterumque lavacrum, hodie à primo vix balneantur amplius; ne huc trahamus illud *Virgilii* durum à stirpe genus. Sic non pauci sunt inter nos, per vitam balneum non ingressi, dum hoc aliis frequens est & solenne. Est autem hujus rei, ut cæterarum non naturalium, *consuetudo*, in ordinandis remediis non parum importans. Miramur veterum e. gr. *Romanorum* morem modumque excessivè frequentem, ut ad prohibendam nimiam perspirationem, & hinc enervationem, opus fuerit ipsis, juxta *Sanctorium*, oleo, simplici vel medicato, ungendis à balneo.

Hæc sunt ex balneo evenire consueta accidentia, quæ collegit *Lamzverde* olim in d. therm. abusu: *Vigilia, Sitis, capitis dolor, constipatio ventris, urina ardor, distillatio capitis, prostratio appetitûs*, quibus alicubi accedat *excoriatio, deliquium, erysipelas*. In memorabil. medic. cent. 20. §. 16. Præsidis *B. Prævus* balnei aquæ dulcis usum, §. 17. ejusdem noxam exhibet in compendio; quæ videsis. Ex *Hippocrate Sponius* excerpfit *S. 3. aph. 65. 6. 7.* Negari nequit, non infrequens esse symptoma *deliquium in balneo* nostro, cùm qui modò facie conspiciebatur tumidus, valde rubens, brevi observatur deficere, ut concitato concursu reficiendus, eximendus, & informandus sit, discat in posterum cautiùs mercari, & observare laudatas supra caute-

C

las.

las. Unde illud? Utrum, velut à scarificatione, ubi, præter alterationem ex altero capite petendam, etiam calor hypocausti quosdam exsolvit? vel ab utero, quia fœminis talia obveniunt multis. An à corde patiente tensionem à sanguine turgente? An per motum impuri, quod in latibulo quocunque quieverat, jam vel resistit circulo, crassum, tenax, vel irritat partes sensiles abreptum, diffusum? An à stomacho, qui vel jejunos languet, vel confluentibus succis vitiosis vomiturit. *Lancisus* d. mort. subit. c. 7: qui nimiâ plethorâ saginati, vel qui post corporis excalesfactionem sive præsentem aliquâ evacuatione, frigido potu, vel balneo utuntur, dictum periculum incurere notat; ratio tamen huc quadrat, scilicet capacitas vasorum ad continendum, & vis ad pellendum sanguinem, dicto casu non sufficiens. *A. Pitcarne* d. circ. sang: *Si duorum cætera similium, & nervos æquales habentium arteria cerebri sint amplitudine inæquales, cui majores sunt arteria, citius fiet ebrius, cui minores, citius dolore capitis affligetur;* ubi de effectibus liquorum vi caloris rareficientium.

Venit sub oculos nobis adhuc unius ex censu benè meritorum *Facult. Med. Bb. Antecessorum* ante seculum abhinc *Dan. Mæglingi*, *General Badordnung*, ubi signum balnei profuturi, si primis diebus venter trahatur introrsum ad dorsum; Secus, si infletur, cum torminibus, modò æstu, modò frigore interno. Itaque tunc purgandum leniter, atque tunc redeundum ad balnea: sub quibus si perstet signum illud ventris malum, desistendum. Siquidem spontè moveri ventrem à balneo, bonum quidem sit, sed rarum paucis obveniens; reliquis laxandum rhabarbari infuso. *Ex Pr. Martiano* *Ac. Cur. Uratist: Balneum humores sursum elevat evehitque ad partes superiores, quod harum intumescencia attestatur, & quantum supernas evacuationes faciliat, tantum inferiores impedit & difficiliore reddit.* *Heurnius* ex Galeno ad 5. l. 4: *Balnea calida obsistunt purgationibus; ambientis vis retrahit purgandum humorem.* Hinc Colicorum tormina balneo domestico sedari,

mira quidem praxis docuit avos nostros, sed ita tamen, ut permutarentur cum artuum impotentiâ: Undè inter nos vix amplius auditur, colicâ laborantes mergi balneo. Postmodùm autem paretici communi ferè consensu mittebantur in *thermas* ferinas. Non desunt tamen, qui in nostris *factitiis* substiterunt, etiam restituti. Superest paretica quondam cum doloribus acerbis, longis, diu libera ab istis, sed distortionem servans rigidorum digitorum; inciderat autem in tale malum ab infelici usu purgantis chymicè drastici: Quam simplicioris etiam fontanæ cum incocto *betula cortice* balneum juvit quondam pareticum, excitatâ scabie gravi, & sic restituit.

Tales autem *pareticos* cum *paralyticis* non esse confundendos, & exempla illorum per *thermas* curatorum non esse alleganda & divulganda pro his verè paralyticorum, monuit olim *Lanzwerde*. In laud. descript. baln. paralytis linguæ & artuum ab apoplexiâ cessit huic balneo. Sed talium exemplorum non suppetunt multa. Et sanè ab hoc posteriori etiam, ab ipso inæquali successu, constat, gravius laborare hos præ illis: Quæ quidem differentia multos jam tenuit dubios, & metus afflicto nuper infirmoque hætenus capiti recidivam fortè ciendi absterruit; Quorum tamen quidam ab hoc periculo manserunt immunes, utut manserit plus minus indè imbecillitatis pristinæ, tam à *thermis* famæ majoris, quàm nostro balneo. Alterius generis *languorem* pedum & impotentiam simpliciter *senilem*, salvo capite, usu hujus balnei certè cauto & diligenti fuisse sublatam meminimus in tantum, ut domo exierit, quod diu non potuit, beatæ memoriæ Senex, absque eo, ut vel tunc vel abindè id cesserit in præjudicium capitis vel catarrhale vel apoplecticum. Hunc tamen cum imitaretur alter Senior, pedes non paralyticos ægrè tamen trahens, à pediluvio non reportavit talem vigorem, sed ob catarrhum ad finem primæ septimanæ supervenientem desistere duxit consultius: adeò rarum est in censure-

mediorum universale, at frequens personale, ut difficile fiat maneatque iudicium à priori. Cæterum de hoc remedio, à tristes hemiplecticorum reliquias utique non sine ratione inspecto, videsis, quæ *Laud. Uratisl.* scripserunt p. 64. quibus tamen sermo est de aquis nobilioribus. Apud *Lancisium* occurrit quoque in curatione paralyseos à causâ calidâ balneum & in præservatione spasmorum à causa subtili; in *Bagliovi* autem fibr. motr. balneo aquæ dulcis curatus tetanus. Et ex *Gallia* balneis duo sunt magnæ laudis apud *Helvetium* ad reliquias apoplexiæ paralyticas.

Ictericorum colorem extrahi & eo tingi lintea, non est proprium quid aquæ nostræ, sed commune quid in plerorumque baln. descr. obvium. Quod per cutem diffusum modò hæret de tincto & tingente humore bilioso vulgò, seu *Helm.* scoriâ liquidâ, vel elui vel exprimi posse forsan non ita difficulter concipitur sub declinationem, modò quæ subest in subiecto causæ sublata vel soluta fuerit difficultas vel obstructoria vel constrictoria; quale quid de flavedine pareticorum videbatur quoque dicendum. Quod si autem ut in pertinaci malo fieri amat causa sit fixior, num vis balnei eò pertingat & multum valeat, videtur esse ex incertis, & rarò contingentibus, Occasione autem hujus regionis injurii essemus in amplissimam hypochondriacorum familiam, si ex *Sanctorii* med. stat. non adscriberemus aph. 102: *Hypochondriaci, si frequentibus balneis eorum corpora reddantur perspirabilia, & victu humido utantur, sani fiunt.*

Difficilis pariter iudicii est alter ventris affectus, dirus *hydrops*, à cuius tamen curatione voluit etiam laudari balneum nostrum. Certè *Vallesius* ad l. 5. epid. ubi *Hippocrates* ad hydrophem videtur præscribere inter alia, *lavari*, post benignas interpretationes, de balneo subjunxit: *ego verò mallem esse nullum.* Quod etiam ibi §. 9. legitur de atheniensi pruritu miserè vexato, liberato quidem à calidis balneis, sed indè hydroptico, tale quid meminimus & hîc loci observatum. Distingui-

mus ergò inter *anasarcam & ascitem, inter œdema pedum & hydro-*
pem, & gradus mali sub diversa interiorum conditione, vires sub
 ætatis vigore cum remediis cooperantes, interdum quid ad-
 mittere, moliri & præstare, quod miremur, concedimus.
 Nobilis senex à *dysenteriâ* consiliis *B. Parentis* convalescens, su-
 spectum inde pedum œdema etiam superavit, præter interna,
 pediluviiis ex aquâ blasianâ usus. Alter tumorem pedum acer-
 rimo *stranguria* paroxysmo non semel imminutum expertus,
 balneum hoc benè tulit, non obstante valdè provecâ senectâ.
 Vetula ab *hemorrhagiâ narium* enormi stigmatibus notata, tu-
 midos cupreos pedes balneo huic immisit particulari, non so-
 lum impunè sed & bene tulit, & sensit levamen, diminutionem.
 Enim verò alteram à principio inferiorum hydropticam libera-
 tam, postea recidivam, ut fieri prohdolor solet, post annos nec
 hoc amplius balneo, nec quocunque remedio potuisse tolli, re-
 tulit maritus chirurgus fide dignus. Nec deest, quæ à potu largo
aquarum salsarum exoticarum, evacuando quidem satis effica-
 cium, *œdema* tamen *pedum* balneo nostro discussum vel repressum
 deprædicat, certè tunc sublatum.

Non frigidus modò pedum *tumor,* sed & calidus fuit im-
 mersus à nostratibus nostro hæctenus balneo : vulgi aliàs caute-
 la esse solet ; erysipelas ne madefiat. Oportet autem intelle-
 ctam fuisse de humiditate frigidâ potius, quàm tali calidâ. Si-
 quidem fuerunt sparsim, qui merferunt ita pedem sub plenâ
 passione erysipelaceâ. Nec reprobatum id legimus ad margi-
 nem instit. Fuchsi à *B. Proavo* ad consilium *B. Antecessoris Ham-*
bergeri; ut & ex *Gabelhovo* in laud. disp. de accidul. usu ext. Ex
 Medicis nostris patrum memoriâ *B. D. R.* idem tentasse & benè
 tulisse bonâ fide nobis relatum est. Frequentior tamen est usus
 præservatorius isto curatorio, videbimus in conflictu, utrum
 plus debeat in hoc & simili quocunque casu aquæ calori, an
 terræ siccitati alcalinæ? Illud autem subindè observavimus, mo-
 lestias tales externas externis videri quidem interdum sublatas,
 sed subsequi interiores frequenter graviores : ut omninò de

præparando corpore, de quærendis succedaneis alibi depurationibus, sollicitè sit cogitandum.

Idem valet de *hemorroidum fluxu*, non supprimendo, sed moderando, facilius dictu, quàm præstitu; Idem de *Fluore Albo*, cui opponitur in laud. memor. 20. §. 12. cùm tamen in aphor. Hippocr. *Spon.* 75. f. 5. legatur balnei abstinence; Idem de *scabie*, quæ à peripheriâ malè tendere potest & solet ad centrum. Præbet autem hîc duo specialiora phœnomena: Ipsam sc. f. siccatam s. curatam visam brevi tn. post tempore novam plerumque exhibere progeniem molestam, ita tamen, ut vulgò soleat continuando, & repetendo, vel tandem superari ejusdem provenus. Accedit anni tempus, post longas frigoris injurias favens curationi; *Ramazzinus* certè in E. N. C. amico ita scabioso consuluit, expectare cicadas.

Denique *artuum* affectibus vel maximè conveniens balneum nostrum posset comprobari exemplis: Inter alia *Arthritica* à contractâ impotentiâ liberatæ, non sine prætensâ præviâ invitatione ad quærendum hîc remedium in somnio, postquam vagâ illâ nostris dictâ, quæ hodiè rhevmatismus audit, tamdiu fuerat excruciatâ, donec membris capta eò deferebatur. Ceu podagricis etiam longo dolore quasi fractis solenne est, uti balneis ad firmandos modò artus longuidos. Ulterius has aquas laudant *milites*, eosque inter olim ad utrumque malleolum frustis solidorum percussus, doloris & infirmitatis levamen hîc inveniens, quale ab aquis clarioribus non obtinuerit: Cui addimus exemplum quoque notum *pedis fracti* cum vulnere diro modo, tandem & ægrè curati, ut languor tamen, tumor, pondus adhuc opem poscerent, multum hîc quoque alleviati & obfirmati satis constanter. His accedent exempla ex vulgo *siccatorum ulcerum*: sc. ulterius aquæ hujus vis se vix extendit, eo autem ipso idem cum scabie monet fore judicium. Interim non possumus hîc prætermittere laudes, huic suæ aquæ quas tribuit & prudens & fide dignus, ob *pedes* quondam *efflorescentiâ minutiarum ad excoriationem molestè affectos*, continuato hujus balnei usu, internis non omissis, tam securè quàm

constanter liberatos. Nec desunt *puerorum rhachiticorum* in pedes hîc erectorum testimonia; Quandoquidem ergò *Floyerus* ita curvis, nodosis, infirmis, ut stare, ire, nequeant, balneum suum frigidum destinat & laudat, nova hinc deliberationis practicæ vel jam in cathedrâ vel olim cum parentibus dabitur materies: Utrum consultius sit, calore nostro humido, potentiâ sicco, fovere pueros? An temperare aquâ fluvii ege- lidâ, calore æstivo subtepidâ? De tali enim modo intelligen- dum apud nos imprimis cum grano salis videtur prædicatum illud balnei frigidi. Transeat modo puer ille nudus, sisten- dus in Tiberi ex voto matris, cujus superstitionem exagitat *Ho- ratius* in sat. 3. l. 2. transeat difficultas illa grandis, feliciter soluta in *hist. crit. de la rep. de lettr.* p. 97. t. x. (ubi videbatur poeta ridiculus canendo priùs necari puerum, postea febrim reduci.) Nostræ hîc contendent aquæ invicem *blasiana* & *nicrina*, (forsan & *rivulorum* quædam nostrorum) sub usu quidem utrin- que cautiore, ubi videatur balneare rhachitico consultius?

Essent talium plura, quibus expediendis modò non suffi- cimus, posthac diligentia observatorum prudenti commen- danda: nos hîc vela contrahentes concludimus adhuc pau- ca in relectione priorum subnata sqq. qf. *Corollariis*:

Quid non experiuntur quos vexat *Ischias*? Suadet au- tem ipsi *Cous* balnea & fomenta. Nostrum talibus quoque fuit auxilio sed in declinatione, ad robur quoque afflicti & debilitati cruris.

Inter symptomata balneantium est etiam *hemorrhagia na- rium*: plures nostratium indè dolent capite; Ex citato princi- pio sursum missi æqualiter non admissi nec emissi sanguinis.

Galenus d. caus. puls: *Balnea calida dum moderata sunt pul- sus creant magnos, celeres, crebros, & paulo vehementiores: Im- modica parvos & languidos, tamen adhuc celeres & crebros.* Cæ- tera minus clara relinquimus arti criticæ.

Notari meretur illud ex obs. Riverio communicatis: *Mu- lierem, ex balneo calidiore phlogosibus, doloribus, anxietatibus af- fluctam, refrigerantibus ext. & int. frustra usurpatis, balneo ex*

Cùm soleat esse tam confiliorum alienorum, quàm priorum tentaminum nullus ferè numerus, annis olim urbi epidemiâ febrili gravibus fuerunt pauci de vulgo, qui tandem ad accessum febris balneum hoc ingredi non reformidarunt, sustinendo ibi *paroxysmi* passionem, prætendentes inde remedium, unde alii recidivam: Ut futura sit disputationi quæstio, quàm tutò quis possit istos imitari? Vid. interim post *Celsum*, 2 17. aph. 625. *Boerhavii*; & accedat illud Ant. Lindani exerc. 13: *Bellè ista conducunt, ubi seri est in corpore, quod satis ad sudandum, vel saltem ad vaporandum.*

Tam suspecta est in deliberatione de balneo *plethora*, ne turgescat, quàm *cacochymia*, ne moveatur importunè; metuitur insuper partibus infirmioribus: Siquidem incertum videtur, quò tendens, ubi exitum inventurum sit, aut hæsurum fortè ac impingendum, s. in quam partem decubiturum, quod quantitate molestum est, aut qualitate adversum. Dicitur autem conclusio sequi partem debiliorem; & juxta *Celsum*, *Raro quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habet.* Benè cum illis agatur, quibus libera est subordinatio viarum urinæ & alvi ad peripheriam cutis, pro se- & excretionem superflui vel impuri.

A Pitcarne in elem. med. declaraturus modum balnei salubris, ad istam quoque omnium partium corporis pressionem à pondere ambientis liquidi respexit: undè aut *febris critica*, aut morbi solutio sine febre, per *diuresin* aut *diaphoresin*. Sermo autem ipsi est ibi de *aquâ frigidâ*, aut *tepidâ*, prout tempestas tolerat, de immersione totius corporis, modò tempestivè rursus eximatur, tanquam remedio præ aliis efficaci ad maniam.

Quemadmodum *rhachiticos* balneat alter calidè, alter subfrigidè, sic etiam quidam prætendit aperire s. nervos s. glandulas, alius coërcere partes inæqualiter nutritas in cæterarum præjudicium. Uter rectius?

Possit *pulvis* ille *aquæ nostræ* tener & albus etiam vocari in considerationem, externè imponi vel inspergi solitus partium tumoribus aut ulceribus; sed potior nobis est modo balnei ratio. Etiam parallelismum crustarum talium curabimus aliàs, *D.V.*